SUPERPONDIUM ALEXICACON

SEU

CONSILIUM DE PESTE,

LINGUA GERMANICA EDITUM
DANTISCI ANNO M. DC. XXX.

POSTMODUM JUSSU

SERENISS. ELECTORIS
BRANDENB. REVISUM ET DENUO
EXCUSUM SEDINI ANNO
M. DC. LIII.

LATINITATE DONATUM

A

CHRISTIANO TIMÆO von Güldenklee/
CONSULE ET POLIATRO TREPTOVIENSE.

LIPSIÆ
Sumptibus CHRISTIANI KIRCHNERI,
Literis CHRISTIANI MICHAELIS.

ANNO M. DC. LXIII.

BIBLIOTECA NAZ. ...

NOBILISSIMIS AMPLISIMIS ET SPECTATISSIMIS

DOMINIS

DN. IMMANUELI PLACOTOMO COMITI PALATINO CÆSAREO, SERENISS. ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO AULICO ET DICASTERJ PROTONOTARIO, &c.

DN. JOHANNI SCHEDEN, SERENISS. ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO CAMERÆ, &c.

DN. MATTHIÆ HOLZNERO SERENISS. ELECTORIS BRANDENBURGICI ARCHIVARIO, &c.

DN. JOHANNI GEBHARDO RABNERO, SERENISS. ELECTORIS BRANDENB. REFERENDARIO, &c.

DN. LEONHARDO JACOBO WEILERN SERENISS. ELECTORIS BRANDENB. SECRETARIO STATUS, &c.

DOMINIS ET AMICIS MEIS HONORANDIS.

S. P.

MErtium quicquid eſt, acceptius redditur, magisq; gratum, Mantiſſa ſi accedat: Idem & mihi polliceor de his praxeos meæ libris, quibus, ne quid deeſſet, ſuperpondium adjeci, alexicacon dictum ob argumentum, quod tractat: Continet enim totam de peſte doctrinam, ſeu præſervandi quis ſpectet, ſeu curandi methodum, annexis ubiq; remediis, non plumbeis, ut Galenus vocat, ſed cum ratione inventis & longo uſu expertis.

Probata hæc olim fuerunt Viris doctis & noviſſimè Sereniſſimo ELECTORI, cujus juſſu iterata eſt editio: Hinc in eam ſpem erectus ſum, nec Vobis ingrata fore hæc alexiteria, non quidem Uſu, quem longè alieniſſimum VOBIS precor, ſed lectu. Debebam equidem meliora & ſuavia offerre; Sed in morbis nihil jucundum, præter eventum, ſi proſper & ſalutaris: Longius autem differre libamentum honori & amori veſtro debitum vetat incertum illud craſtinum; Etenim quis ſcit an adjicient hodiernæ

craſtrina luci

Tempora DI Superi?

Si tamen protelaverit vitam propitium Numen, faciam luculentiori fides mea & ſtudium conſtet documento. Interea ut hanc qualemcunq; opellam addictiſſimæ mentis obſidem prompta manu accipiatis amicè obſervanterque contendo, & ſic Vos & quicquid veſtrum eſt, optimè habere jubeo. Colbergæ III. Cal. Novembr. Anni M. DC. LXI.

Amplitudin. Veſtr.

Amore & ſtudio

Devinctiſſimus

Baldaſſar Timæus

von Güldenklee.

SUPERPONDIUM ALEXICACON

Sive

CONSILIUM DE PESTE.

NUllum equidem eſt dubium peſtilentem hanc luem, qua juſto DEI judicio affligimur, ex infectâ vicinia contagio ad nos traductum, dum turbato hoc rerum ſtatu, magna hominum copia cum ſponte negotiorum ſuorum causâ, tum coacti ad perficienda militarium munitionum opera quotidiè huc confluit. Plurimum tamen eidem contuliſſe videtur.

1. Sepulchrorum apertio, quam vere nuper exacto in Divi Jacobi cœmeterio propter novum ibi ſtatuendum fortalitium fieri oportuit, ubi ſupra centũ humana cadavera, quorum pars maxima peſte deleta Anno 1624. ibidem humata nec dum forſan omni peſtis ſeminario vacua, refoſſa ſunt; quatenus promptum ſatis fuit, incautius approximantes pravum aliquod, putre viroſumq; effluvium ſorbere eoq; primum ſe ipſos, mox & alios, quibuſcum converſari obtigit, inficere, quod ipſum tempore ſæviſsimæ illius peſtilentiæ cum multorum millium ſtrage totam Aſiam vaſtantis, eveniſſe hiſtoria teſtis eſt.

2. Cadavera militum aliorumq; ſub paupertatis jugo, morbo Ungarico, febribus petichialibus, Dyſenteria exſtinctorum vix palmum latum ſine loculo humata (prout ipſe refoſſum à canibus tale ſepulchrum maleq; humato cadaveri manus pedesq; abroſos dolens vidi) infectioni cauſam procul dubio dederunt. Inde etiam calidâ hac aëris conſtitutione teter aliquis lethiferq; halitus emergere hauſtusq; cum aëre occurſantes facilè invadere potuit. Exemplum hujus rei memorabile dedit ante annos tres & trecentos Roma à militi Cæſareano expugnata, ubi ad 12000. millia cæſorum ſub dio inhumata relicta fœtore ex putreſcentibus cadaveribus exhalante tam gravem excitarunt peſtilentiam, ut trimeſtri circiter ſpatio ultra

centum hominum millia repentina mors abſcorpſerit.

3. Nec leve ſenſit augmentum lues hæc, ex inquinamentis & ſordibus, quæ durantibus his bellicis præſidiis in tantâ hominum frequentiâ, quod plæræq; domus ſeceſſum neſciant, in vias publicas effuſæ, obſtructisq;, quibus deduci debebant, canalibus adeò urbe totâ ſunt adauctæ, ut vix ullibi detur ſine nauſea & abominatione tranſitus. Non dicam, quàm noxium peſtiferumq; fætorem cruor & purgamenta pecorum ſparſerint tot mille capitibus intra mœnia mactatis. Fimus verò ſuillus, vaccinus, equinus duodecim pluriumq; cubitorum altitudine non uno loco congeſtus, æſtivis his menſibꝰ tam pravum putidumq; vaporem mittit, qui ſolus creandæ peſti ſufficiat, uti conſtat experientiâ; ſic Pariſiis obſidione gravi preſsis cumulatis per vicos recrementis, maximè equinis (quod equorum tunc ingens erat in urbe numerus) tam tetrum exortum fœtorem, ut horribilis inde nata verno tempore peſtis æſtatem & autumnum totum durans multa hominum millia ſuſtulent. Palmar. lib. de febr. peſtilent. cap. 8.

4. Multum quoq; ad generationem periculoſiſsimi mali hujus fecit graviſsima annonæ caritas jam integrum ferè triennium nos premens, quâ fame extremâ adactos homines pravis naturæq; humanæ adverſis cibis, ut ſiliquis & furfure, frumentorum paleis, ſtramentorum nodis variisq; id genus victitare neceſſe fuerit, unde ſangvinis reliquorumq; humorum ingens primum corruptio, mox peſtis ſecuta eſt. Accidit id ipſum Galeni tempore ut videre eſt lib. 2. de naturâ humana. t. 3. & lib. de cibis bon. & mali ſucci cap. 1. quo ex inſolitorum ciborum eſu, quibus in ſummâ caritati Romani horumq; imperio ſubditi populi veſci ſunt coacti, graviſsima exorta peſtilentia continuis aliquot annis magnam hominum partem ſuſtulit. De Maſsilienſibus ſcribit Jul. Cæſar lib. 2. quòd, cum diuturna arctaq; obſidione cincti frumento vetuſtati corrupto mucidoq; hordeo ſimilibusq; inſolitis cibis miſerum traxiſſent ſpiritum, maximam partem peſte perierint. Et Metteranus lib. 7. hiſtor. Belg. horrendæ peſtilentiæ mentionem facit, quæ Anno 1578. Pedæ urbe tunc obſeſsâ, ex uſu pravorum eduliorum nata trimeſtri ſpatio ſupra 6000. hominum exſtinxit. Apud Joſephum quoq; de bello Judaico &Hegeſippũ de bello Hieroſolym. aliosque hiſtoricos hujus rei plurima exſtant exempla, ut natum inde ſit proverbium: μετὰ λιμοῦ ὁ λοιμὸς. Poſt famē peſtis. Et hæc de cauſis.

Reme-

Remediorum autem quorum ope juxta Divini Numinis gratiam ab horrenda hac lue præmuniri poſſumus, tria potisſima ſunt genera.

Primum ſuo merito locum tenent Theologica, conſiſtentia in ſeria adverſus divinæ legis præſcriptum commiſſorum agnitione, pœnitentiâ verâ, vitæ emendatione & indeſinenti precatione, quibus omnibus divini Numinis iræ juſtisſimæ placandæ ad conſequendam gratiam ſerio nobis ſemperque inſiſtendum. Etenim licet verisſimum ſit, admodum odiſſe Deum, quicquid peccatum eſt, nihilominus tamen clementisſimum ſe præbet omnibus ex animo vereque reſipiſcentibus, unde ad pœnitentiam ipſe nos Paternâ voce ſic hortatur, Jer. 3. Revertere averſatrix Jſraël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis, quia ſanctus ego ſum, dicit dominus, & non iraſcar in perpetuum. Verum tamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es &c. & capite 18. Repente loquor adverſum gentem & adverſum regnum, ut eradicem & deſtruam & diſperdam illud, ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei &c. Poſthæc ſunt politica quædam ad propellendum hoc malum auxilia, è quibus Amplisſimus Senatus nonnulla jam inſtituit, reliqua etiam pro paternâ ſua Reipubl. curâ ordinaturus.

1. Principio viæ aliaque loca publica ab omni ſorditie repurgandæ ſunt; quare nemo auſit excrementa ea præſertim, quæ ab infectis ſunt, in vias publicas abjicere. Animadvertendum eſt & in eos, qui fimeta ad oſtia longo tempore congerunt, adeoque omnis generis fæditates fœtoresque excitant.

2. Quoniam autem Civitatis noſtræ immunditiem non parum auget obſtructio Canalium ad educendam colluviem deſtinatorum, purgandi illi, quibusque cariem aut rupturam ſentiunt locis, emendandi & reparandi ſunt. Huc pertinet ut quilibet civis canalem ex areâ ſuâ deducentem multâ quotidie perfundat & eluat aquâ: Ita namque creſcente undique affluxu facile & viæ publicæ expurgabuntur.

3. Puteos, unde ad elixandos cibos & conficiendam cereviſiam haurimus aquas, ante omnia mundos & omni inquinamento vacuos conſervare oportet, nec ulla ratione permittendæ eos juxta indumentorum, maximè ſi ab infectis ſint, lotiones.

4. Evita-

4. Evitabunt præterea cives ſuſpecta infectionis vicina loca, nec merces ullas comparabunt, quales peſtifero μιάσματι ſuſcipiendo ſunt accommodatæ, ut lanam, linum, pelles, pannum, lintiamina, plumas, lecticinia & quicquid mollitiem habet & poroſitatem.

5. Publici quoque conventus omnes, quoad fieri poteſt, intermittendi ſunt, ut in foro, deductionibus funerum, conviviis natilitiis, nuptalitiis, ſodalitiis tribuum, præcipuè verò tabernarum, balneorum publicorum & quicquid horum eſt amplius.

6. Infecti, civitati efferendi & in noſocomio publico reponendi ſunt. Quanquam optare liceat noſodochium commodius, quod & ſpatioſius & à publicâ viâ remotius in editiori loco ſitum ſit. Quia verò adflictis his temporibus obtineri id non poteſt, in æſtuariis ponendi ſunt ægri, quibus extra pomænia non eſt alius decumbendi locus, ne exiens ab infecto corpore venenum ab infernis aſcendendo totas ædes inficiat, ſed per tectum vel ſupernas feneſtras evaporet. Unde non parum periclitantur, qui cellaria ſua hoc tempore habitanda locarunt.

7. Debebant quidem omnes, qui vel ipſi peſti infecti ſunt, vel circa infectos verſantur, ſponte ſuâ ſanorum abſtinere conſortio; Horum tamen non pauci tanta ſunt animi levitate & malitiâ, ut non vereantur in medio populi circumvagari, imo bonos viros domi ſuæ impudentisſimè gravare, quo nomine ante alios Dominus Proconſul, Dni Paſtores, Scholæ Præceptores, Pharmacopæi & ipſus ego merito querimur. Tales autem optimo jure domi ſuæ concludantur maneatque eos Dei juſtisſimi grave judicium & pœna, ut qui proximum ſuum petulanter & quaſi ex propoſito occidunt.

8. Ne quoq; ſani, quos in publico verſari necesſitas jubet, timore, pavore aliisque incommoditatibus impediantur, certæ conſtitui indicique horæ debent, quibus efferantur demortui, ut, qui facile expaveſcunt, domi tunc ſe contineant.

9. Vagi quoque mendicantes, ne ad civium oſtia accurrant, arcendi & ex decreto de mendicantibus publicato certo aliquo loco alendi ſunt. Quicunque ergò ex vitæ adminiculis aliquid adhuc habent reliqui, larga manu ſubveniant pauperibus ſuccurrantque egenis, ut liberet eos Dominus gravi hoc tempore, & refocillet eos in lecto ægritudinis vindicetque ab omni morbo ſuo.

Tertio tandem loco veniunt auxilia phyſica, quorum ingens paſſim exſtat numerus. Primum autem

tem quodque omnium eſt ſecuriſſimum, in electione aëris puriſſimi conſiſtit. Quoniam enim medium illud aër eſt, quo conceptum venenum in corpora noſtra per halitum aut poros intromittitur, rectiſſimè ab eo ſibi cavent qui in tempore domicilia mutant & in tutiora concedunt loca, donec remittat malum. Fecit id Abraham Geneſ. 26. Jacob. Geneſ. 27. Moſes Exod. 2. David. 1. Samuel. cap. 4. 19 20. 21. Elias 3. Regum 19. Tobias cap. 1. Paulus 2. ad Corinth. 11. & in actis Apoſtolicis 9. 14. & 17. aliique ſanctiſſimi Dei viri, qui non ſemel eſtugerunt imminens ſibi periculum, ipſe Chriſtus aliquoties ſeceſſit, quod Evangeliſtæ teſtantur, Matthæus 12. Marcus 14. Joannes 6. 7. & 8. cap.

Hinc etiam peritiſſimi medicorũ occulto obſtruſæq; rationis veneno huic nũquã credidere, quod de ſe ipſo fatetur Galen9, graſſante videlicet Romæ peſte ſe ideò conceſſiſſe in patriam. Stultũ enim eſt, fugâ ſibi non conſulere, cum fugere licet: Nec pauci nimium confidentes arti ſuæ & viſitando infectos vitæ diſpendio ſuam luerunt audaciam, quod ipſum ſuo jam ſeculo oſtendit Ovidius:

Nec moderator adeſt inque ipſos
  ſæva medentes
Erumpit clades obſuntque authoribus artes.
Quo propior quisque eſt ſervitq; fidelius ægro,
In partem lethi citius venit, atque ſalutis
Spes abiit, finemque vident in funere morbi.

Quosquos igitur non officij detinet ratio, ij procul dubio ſine læſione conſcientiæ recedere poſſunt, modo hoc eis meo indultu ſit liberum:

Vereor enim apud portarum excubitores parum valiturum, cogorque adeò aliud afferre remedium, quò videlicet, quia ſalubriorem quærere aërem alioque demigrare obſeſſis, non permittitur, nihilomin9 puro incontaminatoq; gaudeamus. Hoc verò quod præſtet, igne nihil eſt commodius: Is enim ex attracto ſubinde aëre, quaſi alimentum percipit (ut ventoſæ docent fornaces.) Ea verò ignis eſt natura, ut apprehenſa omnia conſumat; unde neceſſario ſequitur, venenum quoque aliasque impuritates aëris ejusdem vi abſumi. Cujus rei antiquiſſimus Hippocrates luculentum proponit exemplum, horribilem illam Athenarum peſtem, quam incenſis nemoribus depulit. Debet ergo manè & ſero non privatis tantum in ædibus, ſed paſſim publicè, maximè vero in foro, ubi hominum major eſt frequentia, ignis luculentus accendi ex areſactis lignis

B quer-

quercis, fraxineis, fagineis, abjetinis, pineis, ſalignis, betulaceis, alnis, juniperinis &c. Pirij quoq; pulveris tantum per vices accendi poteſt, quantum ſclopo pro uno ictu ſolet indr. Sulphuri quippe & nitro aerem repurgandi ſingularis vis eſt.

Intra ædes ſuffumigia excitari poſſunt ex variis herbis, ut abſinthio, ruta, millefolio, angelica, Zedoaria, meliſſa, lavendulâ, roſis, roremarino, Salviâ, hyſſopo, ſuccino, baccis juniperi & ſimilibus. Baccarum tamen Juniperi nec largus ſit, nec frequens uſus, cum in multis cephalalgiam, imò epilepſiam cauſentur. Opulentiores paſtillis utantur Hiſpanicis ambrâ & moſcho conſtantibus. Proſtat etiam in officinâ noſtrâ pulvis pro fumo fragrantisſimi odoris, cujus uſus his temporibus convenientisſimus eſt. Qui ferre fumum nequeunt laterem ignitum reſpergant aceto roſaceo, de ſcordio aliove antipeſtifero, quod aerem egregiè purificat & æſtivo tempore ſuffumigiis præſtat.

In ſacris quoque ædibus excitari debent hujusmodi ſuffumigia; Ibi enim cum major hominum cogatur cœtus, vario exſpiratu varie alteratur aër, & ſæpe etiam effluviis à cadaveribus ſepultorum aliisque infectis exhalantibus plane inficitur, ne dicam quod alioquin ob cauſas perpetuo feneſtras non ſit plurus ventilatusque templis aër. Non ergò abs re facturi ſunt Dni Proviſores, ſi & hac in parte officij ſui rationem habuerint, cum præſertim parvo impendio fieri posſit.

Minimè verò ſufficit puro aere gaudere; quin inſuper corpus totum ab impuritate omni ſervetur liberum. Igitur vitioſos humores principio educere oportet lenitivo aliquo medicamento, quô fomes veneno ſubtrahatur. Quia verò nullum præſcribi poteſt univerſale purgans, quod ſine diſcrimine omnibus ſubjectis prodeſſe posſit, prudens hac in re Medicus conſulendus erit.

Facilè quidem eſt alvum citare noruntque id ipſum etiam ruſtici præſtare lacte ebutyrato, & vetulæ paſſerculorum ſtercore aut muſcerdâ, & barbitonſores atque aggitæ antimonio, euphorbio & Scammoneâ, at non ſine magno ſanitatis detrimento, imò cum vitæ interdum periculo. Purgantia enim Medicamenta cautè admodum pro utentium complexione, ætate, viribus & ſimilibus circumſtantiis componi, corrigi, augeri minuive oportet. Huc vero peculiaris requiritur peritia, quæ in cujusvis cerebello non naſcitur.

Evacuato rite corpore proſpiciendum eſt, ne iterum vitioſorum

humo-

humorum ſentina confluat, quod facillimè fit, niſi alvus quotidie reſpondeat & veſica exoneretur. Igitur hebdomadatim bis aut minimum ſemel lenitivo aliquo utendum, quo paulatim educantur, quæ indies colliguntur ſuperfluitates. Conferunt hic pilulæ peſtilentiales Ruffi ʒß vel ſi durior ſit alvus. Si pondere ex ſyrupo roſarum vel carduiben. deglutitæ.

Balſamus quoque aloëticus in officina proſtat, cujus eadem eſt doſis, ex vino, ſyrupo violarum, aliove convenienti liquore, qui ſaluberrimum in peſtilenti conſtitutione præſtat remedium. Qui calidiore ſunt temperamento, Syr. roſ. ſolut. de cichor. cum Rhabarb. Sambucino laxativo, electuario diapninis ex paſſulis vel bezoardico noſtro laxativo utantur.

Pauperiores contenti ſint foliis ſenæ in aquâ Carduiben. vel prunorum jure decoctis.

Valentiorum purgantium uſus hoc tempore exulet. Vehementer enim corpus turbant adeoque vires debilitant, ut veneno facile cedant. Nec venæſectio ſine prudentis Medici conſilio adhibenda eſt, niſi vel æger ei aſſveverit, vel in juvenili ætate conſtitutus ſit, aut plethoricus. Iis verò, qui jam infecti ſunt, periculum affert venæſectio, ut infra de curatione pluribus dicemus. Si quis ulcera habet aperta aut fonticulos, caveat hoc tempore ab eorum occluſione, ſed potius apertos mundosq; ſervet. Galenus lib. 5. m. m. cap. 12. aſſerit, ſuo tempore in peſtilenti conſtitutione quaſiſſe omnes illos, quorum corpora ulceribus referta fuerunt; quod ipſum ab aliis quoque obſervatum eſt, ut Antonio Porto lib. 2. de peſte, Guilhelmo Fabritio in peſte Lauſannenſi, Alexandro Maſſaria, Arculano, Nicolao Maſſâ, Gerardo Columba, aliisque compluribus.

Reliquarum etiam purgationum corporis per hæmorrhoidas, menſtrua &c. fluxus debitus procurandus, ne retentis iis impuritates cumulentur, adeoque veneno fomes relinquatur.

Diætæ non minus diligens habenda eſt ratio, ne ſuperfluis aut inſalubribus cibis potibusque oneretur natura. Imprimis verò vitandi omnes cibi coctu difficiles & pravi ſucci, quique obſtructionibus ac putredini occaſionem dare poſſunt. Contra verò iis utendum, qui facilè concoquuntur, boni ſunt ſucci & probum generant ſanguinem, parum ſiccant ac putredini reſiſtunt. Condiendi ergo ſunt cibi aceto, quod omni putredini adverſum eſt. Quorum facultates id ferunt, inter cibos utantur malis citriis, limonibus, malis granatis, aurantiis, ſucco ribium,

aut berberorum & ſimilibus. Pauperibus ſufficiet acetoſa, & naſturtium aquaticum. Potus ſit cereviſia probè defæcata vel vinum citratum, pimpinellæ, abſinthites, enulatum modicè ſumptum. Hoc nomine & ſpecies quasdam præſcripſimus vino infundendas, de quo in menſâ, manè quoque præmanſâ panis butyro illiti rutæque foliis conciſis aſperſi buccellâ hauſtus ſumi poteſt. Sapore quidem eſt amaro, non tamen injucundo medicamentum; Ad præſervationem tamen præſtantisſimum.

Somnus mediocris eſſe debet ſecundum ætatem, temperamentum & complexionem. Senibus longior ſit, quam juvenibus, frigida humidaque complexione præditis brevior, quàm calidis & ſiccis, &c. Meridianus quoq; ſomnus, & qui ſtatim à ſumpto cibo capitur, noxius eſt, ubi tamen conſuetudini aliquid dandum eſt.

Cavendum præterea, ne laboribus aliisque commotionibus nimis incaleſcat corpus. Admodum enim calefacta corpora facillimè venenum ſuſcipiunt, dum aërem avidisſimè attrahunt porisque patentibus liberrimum ei aditum præbent.

Imprimis verò abſtinendum eſt ab irâ vehementiore, triſtitiâ & mœrore, timore, & pavore melancholicisque imaginationibus, quibus aliqui non infecti tantum ſunt, ſed & erecti. Erectus & imperterritus animus in peſtilentiâ medicinæ loco eſt. Plutarchus & Leonhardus Vairus lib. 2. de faſcino cap. 11. ſcribunt: Thaletem quendam Cretenſem dulci artificioſaque muſica multis depuliſſe peſtem. Nos cum Pſalte regio Pſalmum modulemur: Qui habitat in adjutorio altisſimi, &c.

Nec ſi per trepidas luctifica manu
Intentet tenebras mors mihi vulnera,
Formidem, duce te, pergere; me pedo
Securum facies tuo.

Omnibus his, ut par eſt, obſervatis, ad alexiteria tutò commodeque fit tranſitus, quorum cum internorum tum externorum larga ſeges eſt.

Interna quod attinet, expediebat quidem hominum hiſ e temporibus omni abſtinere conſortio: Verum quia non permittit ſua cuique profesſio, officium, vitæque genus, obſervandum, ut nemo Jejunus prodeat in publicum; Jejunus enim homo, cui vacuitate cibi laxatæ ſunt lactes, aërem, halitum & vaporem venenatum facilè attrahit.

Domo igitur exeuntibus proderit particulam rad. angelic. Zedoariæ, dictamni, pimpinell. Valeri-

lerianæ, Enulæ, corticum mali citrij, &c. ore tenere & commandere. Qui pluſculum habent in facultatibus, rotulas ſublinguales in pharmacopolio proſtantes ſub lingua teneant unam iterumque alteram. Sunt & aliæ nonnullæ antipeſtilentiales rotulæ, ut liberantis, de Zedoaria, angelicâ & de balſamo Sulphuris. Morſulos quoque præſervativos præparandos juſſimus quorum dimidius vel integer unus manè conſumi poterit.

Si cui aquæ deſtillatæ arrideant, is aquæ noſtræ bezoardicæ cochlear unum vel duo manè jejuno ſtomacho hauriat. Neque inconveniens erit hauſtum vini abſinthiaci, enulati aut corticum citri manè bibere. Extat in meo de dyſenteria tractatu deſcriptio vini ex infuſione herbarum quarundam, cujus uſus ad præſervationem à peſte plurimum quoque confert.

Omnibus verò alexipharmacis merito præfertur ſuo Theriaca, modo ad præſcriptum Andromachi fideliter ea ſit compoſita. Hanc ſequitur mithridatium; quæ duo ſunt antiqua probataque multâ experientiâ medicamenta, paulò quidem calidiora, ſed quæ frigidis facilè poſſunt corrigi, ſi præſertim hauſtus aquæ acetoſæ vel aceti roſarum ſuperbibatur, aut ſucco citri, limonum, granatorum, ribium aut berberorum attemperentur, quæ omnia calido temperamento præditis & ad febrim pronis apprimè conveniunt.

Præter enumerata compluria ſunt & alia ad præſervationem apta, quorum uſus in conſtitutione peſtilenti non ſemel ſalutaris extitit, ut Electuarium de ovo, diaſcordium Fracaſtorei, Prophylacticum Ferdinandi Imperatoris, pulvis bezoardicus aureus, Confectio Alkermes, de hiacyntho, elexir proprietatis Paracelſi, miſtura ſimplex, Antidotus juniperina Quercetani, elexir peſtilentiale Crolly, alexiterium regale Angeli ſalæ, rubinus ſulphuris, aqua ſtapediana, acetum Theriacale, &c.

Omnia hæc nobiliſſima ſunt prophylactica hoc fine hic conſignata, ut liberum ſit cuivis eligere, quo eorum uti velit. Variare enim auxilia iſta convenit, ne uni aſſveſcat natura. Non tamen omnia in parato habere opus eſt; Satis erit, ſi ad ſui ſuorumque curam unum atque alterum domi ſuæ aſſervet Paterfamilias, quibus hac forte methodo uti licebit:

1. Prima die electuarij præſervativi ſumat tantum, qvantum nucis moſchatæ æquat magnitudinem.

2. Alterâ de pulvere antipeſtilentiali, quantum cultri cuſpide bis vel ter ſumendo ceperit, vel ſiccum, vel vino abſinthiaco, aceto

roſaceo,

roſaceo, aquæ acetoſæ &c. mixtum, aſſumat.

3. Tertiâ magnitudine avellanæ utatur Theriacâ venetâ.

4. Quartâ cochleare unum vel duo bibat de aqua antipeſtilentiali. Sic nempe variari quotidie medicamenta debent, ne quotidinoo unius uſu natura fatigetur, vel nauſeam inde ſentiat, aut ex aſſveſactione vires ejus contemnat.

Prægnantibus Theriacam, ovum aureum, pilulas peſtilentiales, rutam, baccas lauri, caſtoreum omniaque aperientia & expellentia exhibere noxium eſt. Utantur ergo una quidem die rotulis liberantis, alterâ electuario pro gravidis præſcripto: Tertiâ confectione corticum vel aurantiorum, ſique calidiore ſunt temperamento, ſucco ribium, berberorum, granatorum & citri.

Exſtat etiam ſingularis aqua pro gravidis de qua mane cochlearia duo aſſumi poſſunt.

Et quandoq; tali tempore frequentes accidunt abortus, diligenter ſibi cavebunt ab irâ, pavore, timore, rarius in publicum prodibunt, ſtudebunt munditiei. vitabunt omnem fœtorem, eum maximè qui ab extinctis candelis ſebaceis ſimilibusq; emanat. Utantur interdũ balſamo puerorũ, vel tincturâ corallorũ rubrorum. Emplaſtrum verò Comitiſſæ lumbis apponant & radicem plantaginis, quam ſingularis ſecreti loco nonnulli habent, ex collo ſuſpenſam geſtent.

Lactentibus difficulter dantur medicamenta. Igitur mater vel obſtetrix tanto diligentius valetudinem ſuam curabit, ſuſpecta loca perſonasque cautè vitabit, ſobriè & temperanter vivet, ſtudebit munditiei & quotidie utitur mediis prophylacticis ſupra allegatis, cum eorum virtus unâ cum lacte hoc modo parvulis quaſi inſtilletur. Expediet quoque de Unicornu, Cornu Cervi, coriandro præparato, ſuccino albo, coralliis præparatis, margaritis & ſimilibus aliquid miſcere lacti vel pulticulis, quæ parvulis offeruntur. Si lumbricorum ſigna præſto ſint, pilulis peſtilentialibus vel balſamo aloëtico frequenter utatur nutrix. Extrà verò perungat infantis ventrem unguento, quod contra vermes præſcripſimus. Adultiores paulo, ne ſolito huic ætati more, per vicos urbis diſcurrant prohibendi, debito vitæ regimine coërcendi & ab horariorum fructuum ſimiliumque pravorum eduliorum eſu abſtinendi ſunt. Manè eſitent panem butyro illitum recenti, par ficuum, vel fructulum recentis mali citrij ſaccharo reſperſum. Conferunt iisdem, quos præſcripſimus, morſuli; rotulæ

rorulæ item liberantis; de Zedoaria, & aqua deſtillata præſervativa cochlearis unius menſurâ manè hauſta. Lumbricorum ſi metus ſit, cum horum ratione hoc tempôre facilè infici posſint pueri, ſeminis ſantonici ſuccharo incruſtati pauxillum, vel ſucci Carduibenedicti aut cibi cochlear unum una vice ſæpius deguſtent; purgentur Rhabarbero vel clyſtere ex lacte & allio.

Extra inungatur venter unguento contra vermes, vel aloë, oleo abſinthij & taurino felle.

Ne quoque inopes & famuli peſtilenti hoc tempore relinquantur auxilij inopes, paratum iis proſtat in pharmacopolio electuarium, cujus quantitatem nucem moſchatam æquantem manè devorent. Quoniam verò parum juvat æquè iſtos ac alios unum idemque medicamentum multoties uſurpatum, variationis gratiâ ſequentibus uti poterunt ad libitum; nempe abſinthio vel rutâ cum butyro recenti, baccis lauri vel juniperi in cereviſiâ calidâ, foliis acetoſæ aut verbenacæ, quæ ab his, quæ infectis operam ſuam locarunt, non ſemel probata ſunt, Enulâ, angelicâ, Valerianâ, pimpinellâ, radicib. leviſtic, allio, quod Galenus ruſticorum vocat Theriacam. Zedoariâ, gentianâ, &c.

Proderit etiam ſequentem pulverem ex cereviſia calidâ butyro recenti conditâ, manè jejuno ſumere ſtomacho:

R. baccar. laur. juniper. Enulæ, pimpinell. folior. verbenaci & millefol. ãã q. d. pulveris ſubtiliſſ. detur tantum, quantum cuſpide ter capi poteſt ex juſculo calido. Mithridatis Regis ſecretum, quod tanti fecit, ut nemini communicatum voluerit, donec eo devicto Pompejus in ſanctuariis ejus propriâ deſcriptum manu reperit, vile quidem videtur, ſed præſtantisſimum eſt, componitur ex ficubus no. ij totidem nucibus juglantibus, foliis rutæ xx. adjecto pauxillo ſalis. Iejuno ventre aſſumptum xxiiii. horis immunem à venenorum vi præſtare creditur.

Externis præſidiis, quibus favente Deo ab infectione peſtilenti aliquo modo tutari ſe homo poteſt, ſequenti modo utendum eſt.

Initio ad manus eſſe convenit acetum roſaceum bonum, aut antipeſtilentiale aliud, quo lectum egresſi os colluant manusque ac faciem lavent. Si quis verò aceti acorem formidet, admiſcri debet aqua roſar. lavendul. rutæ, &c.

Cortices quoque citri & aurantiorum per noctem in aqua infundi, manè verò aceti aut vini momento

mento adjecto, modo dicto uſurpari poſſunt.

Hinc nares balſamo rutæ, citri, Zedoariæ, ſuccini, vel alio antipeſtilentiali perungendæ, facitque huic plurimum balſamus Ruffi, qui in pharmacopolio proſtat.

Pertinent huc odorati noduli, poma ambræ, aliaqué bene olentia, quorum quædam ſemper geſtanda & naribus identidem, tum præſertim, cum foras itur, admovenda olfaciendaque ſunt. Præſtant cæteris noduli ex ligno juniperino perforati, quorum ſinu repoſita ſpongiola aceto rutaceo aut peſtilentiali quotidiè perfunditur.

Cordis quoque merito habetur cuſtodia: Ejus ergo regio inungatur oleo ſcorpionum vel hyperici, aut præſcripto unguento cordiali. Exſtant in hunc ipſum finem in pharmacopolio amuleta peculiari modo præparata, quæ ſupra regione cordis dies noctesque geſtare expediet, ſic, ut nudam contingant cutem. Sunt, qui pellem taxi piloſam collo geſtant; Sunt, qui avellanæ corticem argento vivo replent oſtiolo cerâ hiſpanicâ obſerato, eumque vel ſerico vel corio inſutum collo appenſum circumferunt. Hoc genere remedij multos uſos eſſe ajunt Anno 1552. in obſidione Metenſi ibique ſtatim atque infectus fuit aliquis, disſiliiſſe putamen. Petrus Droetus conſilio de peſte cap. 8.

Magnifaciunt non pauci amuleta ex arſenico, auripigmento, bufonum pulvere & aliis venenatis; Maximi tamen nominis Medici eadem rejiciunt, quod facilè posſit fieri, ut venena hæc calefacta noxium emittant effluvium, quod ad cordis penetralia reptans vitæ afferat periculum.

Hieronymus Capivaccius celeberrimus Medicus Patavij peſtilenti tempore talia amuleta arſenicalia multis præſcripſit, at referentibus Hercule Saxoniâ & Cornelio Gemma exiguâ cum laude.

Theophraſtus Zenechton ſuum prædicat; Avicennas ſmaragdum; Topaſium, Serapion, Cardanus Sapphirum; Manardus hyacinthum: Sunt, qui radicem plantaginis majoris ex collo ſuſpenſam pro certo jactitant experimento adſeverantes multis locis libitinarios eâ ſe à peſtis contagio præſervaſſe. Certisſima verò juxta opem divinam præſervandi ratio conſiſtit in alexiteriis ſive medicamentis iis, quæ ſingulari virtute & proprietate venenis reſiſtendi ſunt prædita, quorum ingens numerus ſupra adductus eſt, pluraque ſub Curationis titulo recenſebuntur: Quæ peſtem curant, ab eadem præſervant.

CURA-

CURATIO

Adeo eſt horribile & abominandum peſtis malum, ut etiam imperterriti alias animi homines, aliquando id horreant & exitiali hoc tempore ad muſculi ſtrepitum paveſcant; unde Horatius

-- Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit.

Hinc eſt, quod ex levi capitis dolore, horrore cutis vel calore volatico multi putant hæc ſe infectos lue, itaque alexipharmacorum calidiorum uſu intempeſtivo in febres aliosque morbos calidos ſemet præcipitant. Quare summopere neceſſarium eſt, ut diagnoſtica mali hujus ſigna diligenter attendantur.

Quisquis ergo lue hac inficitur, horrorem initio ſentit & gelu quaſi totius corporis. Mox calor ingens ſequitur, vertigo, cephalalgia, anxietas circa præcordia, nauſea & vomitus, laterum punctiones dorſi dolor, artuum laſſitudo, ut contuſi ſibi videantur, perpetua in ſomnum propenſio, cordis palpitatio, ſpirandi difficultas, ariditas & amaror oris, animi deliquium cum fœtido frigidoque ſudore: Oculi concidunt & aqueſcunt, frigeſcunt aures, naſus acuitur totumque langueſcit corpus. Foris tandem quoque venenum ſe prodit tumoribus retro aures ſub alis in inguinibus ac genibus aliisque locis, maculis fuſcis, bubonibus, carbunculis & his ſimilibus; Quanquam hoc non ſit perpetuum, & plerisque die demum altero aut tertio contingat; Quare externa hæc ſigna non ſunt expectanda; Sed quamprimum ſupra enarratorum ſignorum aliqua apparuerint, ſive plura ea ſint, ſive pauciora, ad curationem debitam feſtinandum, foretque ſanè ex uſu, ſi domi ſuæ diu noctuque probata alexiteria quivis ſervaret, quibus ingruente neceſſitate, ſi vel ipſe vel ſuorum aliquis Deo permittente lue hac peſtiferâ corripiatur, uti poſſit, nec tum demũ ad pharmacopolium recurrere opus habeat; Acutiſſimus enim iſte morbus eſt, unde in ſacris literis ſagittæ volantis nomine inſignitur, quod ex improviſo lethalis ſagittæ modo interficiat, niſi ſubito ſalutaria adferantur remedia. Poſtquam enim totum corpus pervaſit venenum & cor vitæ arcem & propugnaculum occupavit, nihil fere poſſunt humana auxilia.

Alexipharmacorum multa ſunt, pluraque indies adinvenit medicorum ſolertia. Horum autem optima merito cenſentur, quæ longâ experientiâ probata ſunt, utpote.

1. Theriaca ad præſcriptum Andromа-

dromachi ritè præparata doſi ʒi adultis, ʒß mediæ ætatis, ℈i pondere parvulis data.

2. Mitridatium cujus idem eſt, qui Theriacæ uſus, niſi quod auctior poteſt eſſe doſis.

3. Diaſcordium adultis pondere ʒij junioribus ℈iij. parvulis ℈ij vel ʒß dandum.

4. Ovum aureum: Cujus eadem eſt cum diaſcordio doſis.

Exhibenda ſunt modò enumerata medicamenta (quæ merito omnes domi ſuæ in promptu habere debent) ex aqua acetos. Card. ben. meliſſæ aut pimpinellæ, aceto rutaceo vel ſcordij invicem miſtis, vel aceto ſolo aut citri ſucco, ſi præſertim calor intenſus adſit.

Pulveres quoque nonnulli probati ſunt, ut ſpecies liberantes, de hiacyntho, pulvis ſaxonicus, Imperatoris rubens & griſeus, antipeſtilentialis Hiſpanicus, ſudorifer Florentinorum & ſimiles. Horum adultus ſumat ʒiß. mediæ ætatis homo ʒi, parvulus ℈i vel ʒß pro ætatis & virium ratione in aceto rutaceo vel huc facientibus aquis deſtillatis. Si facultates utentis ferant, quatuor aut quinque grana lapidis Bezoar adjiciat.

In deſtillatarum aquarum cenſu ſunt laudatæ aqua Theriacalis Andernaci, aqua peſtilentialis Rulandi, Matthioli, aqua nucum Cratonis, & ante omnes nobilis aqua antipeſtilentialis Henrici ſtapedij. Aſſumi poſſunt pro una vice dictarum aquarum cochlearia iij iiij, v. miſcerique extractis, ſpiritibus, eſſentiis, magiſteriis huc ſpectantibus.

Excellentia quoque alexiteria ſunt Elexir peſtilentiale Crolly & alexiterium regium Angeli ſalæ. doſis horum eſt ʒß aut ℈ij ex vino vel aceto ſcordij, &c. Hæc veneno Potentes reſiſtunt, ſpiritusque vitales adeò adverſus id muniunt, ut accedente divino auxilio paucis horis venenum expellant.

Pauperiores utantur pulvere carduiben. baccar. lauri & ſuccini ex aceto, aut ſumant bonam partem radicis chelidoniæ coctæque in aceto addant parum theriacæ idque hauriant. vel

℞. Herb. carduiben.
Fol. rutæ, petaſitidis
Zedoar. & pimpinell. āā.
q. v.
Coq. ex acet. & aquæ p. æqual.
In colatura diſſolve mithrid. ʒi
Ebibatur calide.

Scribit præſtantisſimus quidam Medicus, in Viennenſi hoſpitali multos curatos ſulphure cum ovo ſorbili aſſumpto.

Pulvis quoque ſequens pauperibus bono cedit ℞. Zingiber. ʒij. camphor. ʒi. ſacch. ʒiij. M. doſis adulto ʒiß mediæ ætati ʒi. parvulo ʒß. Imperatorium quidem eſt inventum

ventum

ventum Friderici III. quod tamen nihilominus pauperculis quoque conveniet. Gravidis ac parvulis præ omnibus diaſcordij uſus conducit, ſi ex aqua ſcabioſæ, angelicæ, acetoſæ vel florum calthæ ſumatur.

Præter enumerata proſtant in officinâ variæ potiones ſudoriferæ accommodatæ diverſarum ætatum hominibus, adultis, mediocribus, parvulis, gravidis, famulis, & pauperibus. Electuaria quoque nonnulla pro hominum diverſitate concinnata ſunt, quorum uſum modum & rationem ementibus Pharmacopæus oſtendet.

Ex dictis medicamentis in hoc malo probatisſimis nonnulla ſemper in promptu habere oportet omnes, quibus vita ſua curæ eſt, ut ſibi ſuisque necesſitate urgente ſuccurrere posſint.

Curatio autem ſequenti modo inſtitui poterit:

Principio Deo ter optimo Maximo tanquam ſummo animæ corporisque medico confidenti animo ſeſe commendet æger, ſanorum ſe commercio ſubducat ſecedatque cum necesſariis ſibi adſtantibus in conclave ſeorſim ibique decumbat capite & ſcapulis nonnihil elevatis, quomodo ſitus facilius effugiet lipothymiam. Hinc nullâ interjectâ morâ vel potiunculam ſudoriferam in pharmacopolio noſtro proſtantem vel aliud aliquod ex commemoratis ſupra alexiteriis aſſumat, ſique aſſumptum retinere non posſit, os eluat aceto vel aqua acetoſæ iterumque vel etiam tertiâ vice idem medicamentum repetat, donec id tandem retineat. Poſtquam oblatum pharmacum accepit, & retinuit ventriculus, contectus probè æger duas vel tres horas ſudet; Si verò virium debilitas id non permittat etiam ſemihora ſufficit.

Quod ſi ſudor non erumpat lateres calefacti linteisque aceto madefactis obducti ad pedum plantas apponantur, vel lagena ſtannea aqua fervidâ plena ad latera collocetur. Quibus lagenæ non ſunt, veſicis ad hanc rem uti poſſunt babulis; Sudorem quoque potenter cient ſimulque venenum expellunt ſequentia:

Accipe panem ſiligineum à furno adhuc calentem, reſeca cruſtam inferiorem, dein infunde Theriacam venetam optimam cum ſpiritu vini fortisſimo vel malvatico miſtam & applica ſupra umbilicum calidè, ſudet æger. Peractâ ſudatione altè defodiendus eſt panis in terram, ne quis eô inficiatur.

Quo etiam magis à corde abſtrahatur venenum, raphanum contritum ſale mixtum plantis pedum applicare proderit, aut ejus

 loco

loco in regione pulsus & ſuper halluce veſica excitanda cantharidibus aliisque veſicatoriis.

Dum ſudat æger à ſomno ſibi caveat. Is enim in hac lue, præſertim ſub initium admodum noxius eſt. Quod ſi nimis in ſomnum propendeat, confabulatione & alloquio grato prohibendus brachiaque & pedes panno aſpero ſub lodice fricandi naribusque acre aliquod acetum rutaceum, ſcordij &c. admovendum omnibusq; adeò modis arcendus ſomnus.

Poſtquam ſatis ſudatum eſt, non protenus nudandus æger, quod externum frigus facilè ad cor repellit venenum, ſub ſtragulis ergò calidis linteaminibus detergendus, induſio mundo induendus inque alio puro prius excalfacto lecto collocandus; quod ipſum obſervandum eſt, quoties vel induſium vel lectus ſudore permaduit.

Quoniam ſudationibus admodum debilitantur vires, peractis iis cor labefactatum corroborantibus ſtatim refocillandum & extra quidem particula panis vino malvatico vel aceto rutaceo intincta naribus admovenda, ut odorem attrahat æger, facies aqua roſarum lavanda, cordis & pulſuum regiones oblinendæ unguento cordiali in hunc uſum parato, vel applicandum epithema ex aquis cordialibus, & aër conclavis ſuffimigiis jucundis perpurgandus.

Intus pro refectione ſumat aliquot cochlearia ſyrupi berberorum, ribium, vini granatorum, emulſionis Perlarum, conſervam borraginis, violarum, roſarum cum pauxillo confectionis Alkermes. Ante alia hic celebrantur mala citria, ſi orbiculus unus & alter ſaccharo perſperſus ægro deguſtandus detur; non enim tantum cor roborant, ſed veneno quoque reſiſtunt. Scribit Theopompus Chius, Cliarchum inſignem tyrannum, qui pontum tenuit, multos ſuſtuliſſe veneno, donec tandem de virtute mali citrij compertum eſt. Sunt præter adducta alia quædam in officina præſtantia alexiteria, ut aqua cordialis nobilis: Jucundus & elegans ſyrupus confortativus, pulvis corroborativus; Electuarium cordiale: Horum cordialium aliquid etiam inter ſudandum, ſi debilitatem ſentiat, dandum ægro, ut & alias, quoties uſus exigit.

Poſt elapſum à ſudatione & cordialium uſu horæ ſpacium cibis boni ſucci, multi nutrimenti & facilis coctionis reficiendus æger, ut ſunt jura gallinarum vel carnis bubulæ cum macere coctæ, in quibus vitellus ovi recentis diſſolutus ſit, ptiſana hordeacea percolata, puls avenacea, emulſio amygdalarum,

larum, pulmentum ex pomis acidis & ſimilia.

Carnes & piſces initio morbi non conveniunt; obeat eorum vicem jus conſummatum, ut verò cibi quoque aliqua ex parte venenis reſiſtant, acidis ferè condiendi ſunt. Qui pluſculum habent in bonis, utantur ſucco citri, ribium, berberorum; Pauperiores contenti ſint aceto.

Parum autem pro unâ vice cibi dandum ægroto ſæpius repetitis vicibus, ut vires, quæ admodum deficiunt, paulatim recreentur. Potus ſit cereviſia mediocris vel aqua hordei cocta. Si calor urgeat, Julebus præſcriptus vel tinctura roſarum in pharmacopolio comparari poterit. Proſtat ibidem alia aqua de Cornu Cervino, malo citrio &c. confecta admodum grata, potio refrigerans, cor roborans & veneno reſiſtens. Vinum primis diebus non conducit, quod venenum ad cor repellit. Pauperculi aquam ſuam aceto temperent injectâ particulâ toſti panis.

Purgatio hoc in morbo plus damni affert, quàm commodi. Si verò non reſpondeat alvus, ſuppoſitorio vel leni aliquo clyſtere primum ſollicitanda. Poſtquam verò biduum vel triduum antidotis & alexipharmacis datum eſt, viresque veneni bona ex parte fractæ ſunt atque mediocribus adhuc eſt viribus æger, lene aliquod purgans exhiberi poteſt, quale ſunt pilulæ peſtilentiales Ruffi & balſamus aloëticus ℥i vel ℈iiii pondere exhibitus; Item pulvis benedictus laxativus, electuarium de paſſulis, diaprunis &c. Valentiora purgantia hoc in malo, maximè in principio valdè ſunt noxia, quoniam vehementer turbant corpus, ſanguinem jam fluctuantem magis commovent, vires admodum dejiciunt, venenum ad interiora rapiunt, nec raro diarrhœam periculoſam excitant.

Venæſectio quoque periculi plena ideoque omittenda eſt, utpote cujus in peſtilenti lue nullus unquam eximius fructus perceptus; Sæpisſimè autem obſervatum eſt, omnes ferè, quibus vena inciſa eſt, ſubita morte periiſſe, cum alij quamplurimi ſolis antidotis confiſi evaſerint. Ambroſius Paræus lib. de peſte cap. 24. ſcribit quod Anno 1565. graſſante per totum Galliam peſte, cum paulo pòſt cum Rege Carolo, IX. Bajonam iter feciſſet, in omnibus civitatibus obviis ex Medicis & Chirurgis fide dignis acceperit, omnes eos, quibus vena ſecta fuerit, mortem obijſſe: Quod ipſum Mediolani & Brixiæ, item Pariſiis aliisque in locis evenit teſte Maſſaria lib. 5. cap 24. Item Andernaco lib. de peſte &c.

Rodericus Fonſeca de ſanitate tuenda cap. 2. teſtatur, omnes ſibi commiſſos ægros, qui peſte jam infecti ſanguinem miſerunt, interiiſſe. Mindericus in Medicinâ militari ſcribit, totâ ſuâ vitâ unum tantum ſe vidiſſe, qui peſtilenti tempore ſectâ venâ vitam ſervaverit. Idē obſervarūt Petrus Foreſt⁹ in peſte Delphenſi. Johann. Antonius Saracenus Genevæ, Guilhelus Fabritius Lauſannæ Helvetiorū. Johannes Heurnius Leidæ in Hollandiâ, Fallopius in vehementi illâ peſte, quæ ante centum annos anno 1530 in Italia graſſata eſt, alijque complures celeberrimi Medici. Diligenti ergo cautione hoc in caſu opus eſt, optandumque foret, Chirurgos Caſtrenſes, tonſores, balneatores &c. circumſpectius verſarent phlebotomum, & ad venæſectionem requiſiti non antè eam peragerent, quam prudentis Medici conſilium expetitum ſit, vel Cratonis conſilio prorſus omitterent, ægrosque ſolis antidotis, in quibus totius Curationis cardo vertitur, contentos eſſe juberent.

His verò quomodo utendum ſit, ſupra oſtenſum eſt. Hoc ſolum hic monendum ſupereſt, quod quia ſimul & ſemel unaque vice expelli venenum nequit, facilè quoque regredi & ad cor penetrare poteſt, non ſufficere ſi principio alexipharmacon aliquod in uſum veniat & ſudor provocetur; Sed repeti ſæpius antidota oportet, initio quidem ex Galeni mente, intra diem & noctem bis, inde quotidie ſemel uſurpari, donec certis ſignis apparentibus conſtet expulſum venenum & penes naturam eſte victoriam. Niſi enim antidotorum continuetur uſus, vires venenum facilè acquirit ſubitaque morte inſperato multos è medio tollit, quod ipſum hic quoque loci in noſtris civibus planum fecit experientia. Si quis verò ſudare non poſſit, is nihilominus dictis antidotis diligenter utatur, corpus ſervet calidum atque à frigore muniat. Ita enim vires ſuas non minus exſerent & vim veneni ſuperabunt.

Refici interea & roborari ægrum convenit medicamentis cordialibus & ſalutaribus cibis. Niſi enim vires aſſiduè diligenterque inſtaurentur, cor anhelum deficere tandem neceſſe eſt.

Symptomata mali hujus quod attinet, ut ſunt dolor capitis, hæmorrhagia narium, aſſiduus ſopor aut nimiæ vigiliæ, punctiones laterum, tremor cordis, animi deliquium, ſiccitas linguæ, angina, vomitiones, diarchæa & ſimilia, ſuperfluum eſt hic de iis agere, quoniam cum morbo, modò is rectè curatus fuerit, tandem ſpontè deſinant,

ſinant. At quia non rarò adeò affligunt ægrotos, ut omnino neceſſarium ſit vehementiam eorum retundere, prudens horum Medicus per fidelem internuncium conſuli debet, aut meus de dyſenteria libellus, in quo de dictis modò ſymptomatibus abundè tractatum eſt, evolvi.

Tumores externos, bubones, carbunculos, anthraces, qui hac in lue germinant, conſtitutus à magiſtratu Chirurgus debito modo attendet, quo quisquis potiri non poteſt, ipſe manum admoveat, & initio tumori venenato imponat diachylon ſimplex; deinde ſequens cataplaſma, quod recipit rad. lil. alb. alth. ſem. lini, fænigr. Herb. aneth. chamomill. melilot. malv. unguent. dialth. oleum ſcorpion. chamom. & pauxilium croci: applicetur calidè ſupra dictum modò emplaſtrum. Guilhelmus Fabritius præſtantisſimus Chirurgus initio utitur attractivo ex pulvere bufonum, fermento, theriacâ, foliis rutæ & melle facto. Poſtquam ſatis extractum eſt venenum, ad emolliendum & ſuppurandum applicat diachylon & emplaſtrum de meliloto cum pauxillo unguenti dialthææ, farinæ triticeæ, melle & olio ſcorpionum permiſtum, optatisſimo ſucceſſu.

Ubi paululum molleſcit tumor, nec tamen ſpontè rumpitur, phlebotomo aperiendus eſt, à pure repurgandus inditaque turundâ unguento ex butyro, terebinthinâ & ovi vitello perlita tam diu apertus ſervandus, donec omnis evacuata ſit venenata materia.

Multi verò ſunt tumores peſtilentes, qui emolliri aut aperiri neutiquam poſſunt, ſed ſudore tandem abſumuntur, duritiem quandam relinquentis, quam fomentis ex herbis & applicatione Emplaſtri de meliloto, diachylo & tacamahaca parato diſcutere convenit Carbones & anthraces ſubito aperire, tarde autem claudere convenit. Initio emplaſtrum imponendum eſt ex fermento, butyro, ovi luteo & melle factum aut vulgare illud attractivum luteum, ſique iſtis non rumpantur, phlebotomo aperiendi ſunt; Cavitati immittendum unguentum ſuppurativum modò præſcriptum & materia venenata diligenter extergenda. Dum hæc fiunt, defenſiva quoque probata adhibenda, qualia ſunt unguentum de ceruſſa cum bolo, unguentum jovis aut de liquiritia, cum alioquin venenum retrocedat aut late ſerpat, unde non rarò carnis magna fruſta excidunt. Sunt qui huc adhibent ſapphirum orientalem, quo circum tumorem ducunt circulum

perhi-

perhibentque prohiberi eò venenum, ne latius ſerpat. Quando tandem veneni aut puris nihil ſupereſt, accedendum eſt ad conſolidationem indendumque ulceri nonnihil unguenti de tutiâ vel diapompholygos, extra vero emplaſtro de lapide calaminari vel albo coctо tegendum, quibus brevi ſanatur ulcus.

Hæc ſunt quæ de cauſis, præſervatione & curatione graſſantis hoc tempore apud nos peſtilentiæ conſignare & in uſum communem typis mandare volui, DEUM toto pectore precatus, luem hanc funeſtisſimam & cætera, quæ nos undeque premunt mala à cervicibus noſtris clementer avertere & decursâ tot calamitatum periodo, benigniore vultu reſpicere dignetur.

CONCLUSIO

ABſoluto, per DEI gratiam, præliminari hoc de plærisque humani corporis affectibus opuſculo, monendus es, Amice Lector, ordinem in diſponendis caſibus non ubique nec adeò ſtrictè obſervatum, nec ſuis ſingula repoſita locis, multa etiam in Epiſtolas, quarum editio, niſi quid intervenerit, brevi maturabitur, rejecta. Titulos præterea aliter atque aliter inſignitos nec, licet res una ſit, unum nomen præ ſe ferre; Illud elenchus ſupplebit Hoc, quod ſub nomine jacet argumentum.

Cæterum & medicamentorum, quorum memini, compoſitiones haud ubique inſertæ, non invidiâ, vitio multis familiari, aut neglectu, ſed quia uno quaſi faſciculo ſub calcem epiſtolarum mearum medicinalium comprehenſæ ſunt; Actum autem cur agerem?

Quod ſupereſt, plura equidem multorum morborum exempla praxi triginta ſex annorum hactenus mihi obſervata adducere poteram; Verum etiam hanc, quam melioribus annis exorſum, inter ſæculi calamitates & vitæ incommoda telam pertexere moleſtum fuit; Accesſit & publico nomine non parum aucta expediendorum moles, & quod palmarium eſt, anceps laboris præmium plerumque in calumnias definens. Interim cum jacta ſit alea, in quamcunque partem ceciderit, æquo animo feram, DEUM veneratus, candidè cenſentibus gratiam, obtrectatoribus meliorem mentem, omnibus denique felicitatem perpetuam indulgeat, & quæ bono fine ſcripta ſunt benè cedere totique rei medicæ ſalutaria eſſe jubeat! ILLI SOLI SIT LAUS, HONOR ET GLORIA IN INFINITA SÆCULORUM SÆCULA.